



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis**

**Balbín, Bohuslav**

**Pragæ, 1664**

Radius Pacis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42763**

L. 2. de gemmis  
c. 103.

Vide supra l. 3.  
c. 4.

Pax Regno-  
rum est pu-  
pilla.

bilem solertiam ostentabat, inter miracula Mundi ( verba sunt Anselmi Boëtij Medici Rudolfini ) recenseri potuit, & cum Temple Diana Ephesæ non injuriâ comparari. Sed ad significatum Imaginis redeamus. Hanc Pacis virtutem unice dilexit *Arneſtus*, meritoque *Pacis Radio*, & *Iaspidis Iride* cingetur in cœlis. Quoties ille Pacem inter Reges, ut antè probavi, conciliavit! quoties *Carolo Cesari Pacificæ ramum prætendit Olive*? Erat velut *Olive fructifera in domo Domini*, quæ etiam ex ejus tumulo sapius stillavit. Hoc ille Pacis itinere, quo *DEI Filius* olim evasit in cœlum, ut *Columba Noë ramum Olive*, pacato, imbelli, & innocenti ore, deportans.

## RADIUS PACIS.

**P**ax optima rerum, quas homini vidisse datur, velut Regni Pupilla custodienda Principibus est, quia sæpe pulveris exigui jactu turbatur. Ambitio prima est, quæ pede spargit arenam, & velut in extrema olim fame clamat in arena & Circo: *Humana carni pretium impone!* Humanis illa hostijs perlitare desiderat. Nec bellorum illi causæ procûl, ingeniosa est. Sed etiam in bello & post bellum ( quis credat? ) satis citò causas se putat inventuram. Qui Turcicum Opium semel bibere, nil nisi incendia ( dum vino incalescunt ) & sanguinem mente vident. Tales cavendi, & primò agnoscendi sunt, nè beatos Principes ad sanguinis dulcedinem degustandam erudiant. Nam isti sine bello vivere inhonorum existimant. Statum sibi quendam fecere militiam, vexilla hæreditatem: qui bellum turpiter cauponantur, pacem, si cœlo descenderet, cuperent occidere. Quando igitur regnabit Princeps, qui semper militat? ut ad cœli Beatitudinem securitas, sic plerumque ad Beatitudinem Regni, Pax desideratur. Cogi ad bellum etiam bonus Princeps potest, optimus verò efficit ut, cogi non possit. Quis semper paratum invadet? Pacem maximè amat, qui Pacem armis custodit. Arma innoxia sunt in Pace, eruantur in bello: nam in bello non Princeps, sed gladius Princeps; gladius improbis, etiam DEVS est. Inter ea clamat sanguis in cœlum; ferro & igni Patria dividitur, cum propè bellum geritur;



C. XXIV. COELESTIS BEATIT. VIII. RADII. 447

ritur; si procū, pecunia migrat, & quis custodiet ipsos custodes? saepe nec vincere Principi expedit, victorijs aliquando Regna ceciderunt. Pauca sapienti. O! dirum igitur belli incendium, quod tanto Regnorum periculo constat; quod tot pretijs sustentatur; ac denique quod solo hominum sanguine debet extinguī! *Beati Pacifici!*

VIII. COELESTIS BEATITVDINIS RADIVS

EX ADAMANTE.

VEN. ARN. PROPTER JUSTITIAM PATITVR.

*Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. Matth. 5.*

**A** *Damantem* lapidem Fortitudinis & invictæ Patientiæ symbolum haberi, notius propè est, quàm ut debeat scribi. Nam licet ferro & face bellum *Adamanti* indixeris, nihil timet. Lædit ipse potiùs patientiâ, & fatigat percussorem. *Adamantes* plerosque à natura, Tribulæ speciem referre peritissimus, ut apparet, gemmarum *Alcasar* asseruit, quasi ipsa tribulatio & patientia in *Adamantis* habitum & constantiam migrare voluisset. Sed illud vulgò ignotum, quod nostri Emblematis figura erit. *Adamantem unguibus humanis cedere*, & qui malleis frangi & conteri non potest, eundem unguibus aduncis artificum, nullo negotio perdomari & poliri. *Anselmi Boërij*, *Rudolfi Cæsaris Medici*, qui expertus est, verba accipe: *Adamas*, inquit, *unguibus humanis, absq; alicujus instrumenti ope, peculiari artificio teritur.* Hoc igitur cum ita se habeat, pinge *Adamantem*, in quo digiti humani *Vnguis* Coronam ex Sole & Stellis exsculpat, adjice Epigraphen: *Perfectus ad Vnguem.*

*Pierius lib. 40 hieroglyph. Adamas fortitudinis symbolum.*

*In C. 8. Apoc.*

*Tomo 3. symbolorum. simbolo penultimo.*

*Vnguem* atrocis calumniæ symbolum semper habuit anti-  
quitas, hinc vetus proverbium, quo *unguem in ulcere molestum*  
vexatorem vocamus, & persecutorem.

*Petrus sanct. l. 3. de symbol. c. 11.*

Quanta pro Justitia *VEN. Arnestus* tolerarit, suo dictum est loco. At in pectore summi Sacerdotis *Adamas* lucens (ut habet *Pierius*) animum ejus invictum demonstrabat. In Patientia

*Pierius lib. 40 hieroglyph.*